

Decani ... publica invitatio ad inauguralem dissertationem de arsenico cui modesta eius excusatio praemittitur / [Johann Hadrian Slevogt].

Contributors

Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.

Publication/Creation

Jena : J.F. Ritter, 1719.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n2cv4352>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MEDICÆ FACULTATIS DECANI
JOANNIS HADRIANI
SLEVOGTII

D. & P. P.

PUBLICA INVITATIO

ad

Inauguralem Dissertationem

DE

ARSENICO

CVI

MODESTA EIVS
EXCUSATIO

PRÆMITTITUR.

A. O. R. M DCC XIX.

Typis IOANNIS FRIDERICI RITTERI.

JOHANNIS HADRIANI
SLEVOGTII

D. P. P.

PUBLICA INVITATIO

ad

Inauguralem Dissertationem

DE

ARSENICO

CVI

MODESTA FIVS
EXCUSATIO

PERMITTITUR.

A. O. R. M. DCC. XIX.

Typis JOHANNIS FRIDERICI RITTERI.



Q. D. B. V.

Medicæ Facultatis Decanus

IO. HADRIANVS SLEVOGTIVS

L. B. S. P. D.

DUm in eo sum, ut, quod Decani officium exigit, per peculiare Programma illustrem Senatam Academicum, omnesque Asclepiadeæ artis fautores, ad inauguralem de ARSENICO Dissertationem, clarissimi Doctoralium honorum Candidati,

IOANNIS FRIDERICI BUCHKA

SAALFELDENSIS

invitem, occasione dicti thematis, mihi singulare, & jam antiquissimis temporibus multis medicamentis familiare fatum in mentem venit, ut, antequam potiores eorum qualitates, per repetitum usum innotescebant, haud infrequenter molestam operationem ederent. Si nimirum dosis mediocritatem supergrediebatur: quod circa cathartica & narcotica sæpe contingebat: vel ea sine corrigentibus, postmodum demum inventis, propinabantur. Inprimis autem mineralia, cum nondum per ignem decenter examinata essent, difficultatem pariebant: ut eorum pauca interno usui apta censerentur, multa vero venenorum familiam, jamdudum per vegetabilia ac animalia, itidem nondum satis explorata, justo numero-fiore factam, auctiorem redderent.

98.

Donec *Pyrotechnia*, illud ineffabilis utilitatis $\tau\acute{\omega}\varsigma$ $\Theta\epsilon\acute{\omega}\varsigma$ $\delta\acute{\omega}\epsilon\gamma$, ex paucis obscurorum, vel saltem sua artificia occultantium hominum laboratoriiis, in lucem publicam protracta, & alacriter ad quorumlibet sublunarium corporum examen sese accingens, ignobilem istam veneficii maculam a plerisque concretis, & præcipue a mineralibus abstergeret, eaque toxici infamia antea notata, ad medicamentorum dignitatem eveheret.

Neque tamen infatigabilis Chemicorum solertia prohibere poterat, quo minus, ex nimia festinatione, & desiderio novorum pharmacorum, per ignem & menstrua productorum, vires comperiendi, ob neutiquam satis cognitum eorum agendi modum, ac incertam dosin, subinde tristes effectus conspicerentur, & a paucis *sublimati* alicuius aut *precipitati* pulveris granis, guttulisque aliquibus, per destillationem aut deliquium acquisiti liquoris, horrendi in ægrotantibus motus, & interdum incorrigibiles mutationes excitarentur. Ex quibus phænomenis Galenici (ut veteribus medicamentorum formis adhuc utentes, per contemptum, a Chemicis appellabantur,) occasionem capiebant, promiscue spagyrica auxilia recusandi, & manifeste pericula, inde metuenda, publice ac privatim exaggerandi.

Nec carebant eorum mordentes suggillationes notabili successu, ut ex uno alteroque exemplo clarissime innotuit. Cum enim ex antimonio parata *vomitiva*, & inter illa, pulvillus, ex butyro eius, *Mercurii vita* nomine, præcipitatus, in exigua quantitate, & cum vegetabilibus instituta comparatione, vix spectabili mole, semel iterumque violenter, & cum magna sumentium debilitate primas vias succussissent, statim illa omnia non solum summe $\delta\epsilon\alpha\sigma\iota\mu\acute{\alpha}$, sed prorsus $\Phi\theta\alpha\sigma\iota\kappa\acute{\alpha}$ proclamabantur, *Mercuriusque mortis* audire cogebatur, qui antea *vita* epitheto superbiverat; tandemque totius Gallix incolis omnis antimonii usus, sub gravi pœna, interdicebatur. Nec cessabat prius proscriptionis istius rigor, quam innocens minera, propter $\pi\omicron\lambda\upsilon\chi\epsilon\acute{\iota}\sigma\iota\lambda\alpha$ sua merita, a doctis

doctis & providis pyrotechniæ Cultoribus in civitatem revocaretur, & in locum, pristina dignitate superiorem, collocaretur.

Haud levem quoque offensionem, & magnum odium illi argento vivo, & medicamentis, inde prolectis, concitabant, qui virtute eorum, ferum & rebelles, ex ejus coagulatione, in duris pariter ac mollibus partibus, natos tumores resolvendi, abutentes, per importunam mercurialium applicationem, impetuosas fœtorisque plenas salivationes excitabant, ut ægri dentibus & uvula, imo particulis linguæ atque tonsillarum privarentur, nonnulli etiam, ex diuturna humiditatis subtractione, lenta tabe consumerentur. Quibus rebus fiebat, ut multi, ad mineralis hujus nomen expavescentes, ne quidem nervis amicissimam Cinnabarim, cum hanc mercurii mineram esse nossent, admitterent, serioque insignis ille trium Imperatorum Archiater, Io. Crato, pronuntiaret, se ista uti nolle, quamvis omnes homines ipsius usum approbarent.

Similia fere fata multa quoque alia Chemicorum inventa superioribus temporibus experiebantur, quando vel male præparata, vel imprudenter ab ægrotis usurpata, promissæ salutis loco, damna inferebant. Sed pleraque tamen eorum ab interitu ac turpi ex officinis rejectione a peritis Artificibus vindicabantur, qui errorum fontes corrigentes, ulteriorem nocendi occasionem præcavere non detrectabant.

Solum arsenicum neminem hæcenus invenit, cui, non dicam, *defensoris*, sed *excusatoris* saltem partes in se suscipere, & innumeras, in ipsum passim evomitas contumelias, per bona verba declinare, in mentem venerit. Cum tamen non solum nobilis ejus ex mercurio origo, & nitens ac pellucidula fere albedo, ponderasque & corruptionem nesciens consistentia, una cum virtutibus, ne quidem ab infensissimis ejus hostibus in dubium vocandis, egregio huic minerali honestiorem existimationem comparare deberent.

Hic locus non est, nec patitur angustus prolusionis terminus, proluxiori discursu, in aliud tempus, si DEUS vitam

atque vires concefferit, referendo, ejus elementa, agendi modum, & vitia pariter, ac salutiferas qualitates prosequendi: cum in præsentia mihi fatis fit, non pauca in ipsa inaugurali Dissertatione, fugitivo tantum oculo inspecta, in honorem arsenici vergentia deprehendisse. Deinde infallibilem ejus, & multis millibus exemplis comprobata facultatem, intermittentes febres cito atque tuto, imo, cæteris paribus, & respectu aliorum febrifugorum, fatis etiam jucunde, radicitus tollendi, neminem hæctenus per argumenta, rationibus & experientia suffulta, impugnasse, aut, quod ab usu, per orbem terrarum, celebratissimi Peruviani corticis, contigisse, clarissimi Practici voce & scriptis testati sunt, demonstrasse, justam ejus dosin, conveniente tempore, & aptis, beneque moratis individuis oblatam, vnquam rebeli recidivæ, aut aliis ægitudinibus, cito aut tarde sequentibus, materiam ac occasionem præbuisse.

Ut proinde arsenicum jure ac suo merito, titulo honorabili *specifici remedii dictarum febrium* condecoretur, & summo pere dolendum sit, ex tot acutissimi ingenii limatique judicii viris, ne vnum quidem mihi innotuisse, qui de causa talismodi efficacix, ex receptis hypothesibus vix explicabili, inveniendâ, sollicitus fuerit, & simul de mediis cogitaverit, nimis agilia eius elementa rectius, quam hucusque, per nitrum, acetum, &c. tentatum est, cicurandi; ut ea, in magna etiam quantitate assumta, mitissime operari discant; & hoc pacto non solum ex mollibus animabus, ad levissimam veneni umbram intremiscentibus, inanis metus mortis excutiatur, sed ulteriores quoque dotes, huic minerali a DEI manu largiter concessæ, dilucidentur, nec, quod nuper admodum *febrifugum* certissimum gratiosa & verissima voce salutabatur, simul per duram sententiam *nequissimum* appelletur. Desinant potius, quod serio opto, & futurum confido, in posterum boni publici comoda, magna cum laude, promovere volentes, quasi de composito, in colligendis vexarum testibus, male operam locare, cunctisque historiis, (qualis illa Amati de morte, post annum

num demum arsenicum excipiente, sine dubio est) aures præbere, aut Helmontii sinistro iudicio quicquam tribuere: cum neminem lateat, quam injuriose ille antimonium, catharticam operationem adhuc exercens, viri boni remedium esse negaverit, & quod eadem ratione, qua Heroftratus, ex incendio templi Dianæ, famam aucupatus est, ipse ex petulante Antiquorum vexatione gloriam venatus sit; cum vituperandi quidem artificium optime calluerit, vere meliora autem inveniendi æque ignoraverit, ac Bontekoe destructum a se Chirurgicum ædificium reædificandi.

Plura afferre Historia vitæ atque studiorum clarissimi Candidati vetat, ad quam accedere oportet.

Editus est in vitalem lucem Saalfeldiæ, d. 2 Octobr. 1694, Parentibus, *ἄνδρ. ἐν ἀγίοις*, Dn. IO. SEBASTIANO BVCHKA, Medicinæ Doctore, Serenissimi Ducis Saxo Salfeldensis Consiliario & Archiatro longe meritissimo, Matre SVSANNA, nata Langenbergerin/ Matrona honestissima. Quamprimum per ætatem licuit, in patriæ suæ Schola, fideli omnium Classium Præceptorum, ad pietatem & liberales artes manu-ductione usus est; & imprimis per clarissimos viros SCHNELEROS, Phil. Magistros, Rectoris & Conrectoris officiiis fungentes, tantos in humanioribus profectus acquisiuit, ut d. 10 Ian. 1715, a magnifico t. t. Pro-Rectore, D. D. DANZIO, S. S. Theolog. Doctore & P. P. in nostrorum Studiosorum album recipi, & academica studia a Philosophia ordiens, potiores ejus disciplinas ex B. M. BAIERI ore haurire posset. Præter Physicam, quam D. D. HERMANNVS TEICHMEYERVS, Professor Medicinæ extraordinarius, Phys. autem Experim. Ordinarius, & Archiater Hazfeldens. celeberrimus, solide tractavit. Post hæc ab illustri D. D. GEORGIO VVOLFFGANGO VVEDELIO, Heredit. in Schwarza Med. D. & Chim. atque Praxios P. P. famigeratissimo, Com. Palat. Cæsar. Sacræ Cæs. & Cathol. Maiest. & Sereniss. Saxonix Ducum Consiliario, Vinariensi Aulico & Archiatro, Facultatis Medicæ & totius Academix Seniore gravissimo, privatim naturam medica-
mento;

mentorū simplicium & materiæ Medicæ, ad ductum Macasii, nec non morborum mulierum, publice autem methodum medendi summo cum applausu audivit.

Hicce Acroasibus magnifici h. t. Pro-Rectoris, D. IO. ADOLPHI VVEDELII, Phil. & Med. D. Theoret. P. P. celeberrimi, Consilarii & Archiatri Ducalis Saxonici, Medici Duc. Prov. Saxo-Vinariens. meritiss. privata Collegia Institutionum, Physiologicum, Pathologicum, Chirurgicum & Chymicum junxit, publicasque de morbis externis ac infantum lectiones solidissimas assidue frequentavit.

Apud D. D. HILSCHERVM, Med. P. P. extraord. designatum, audivit Colleg. Physiolog. Institutionale, Anatomicum, Botanicum & materiæ medicæ.

Meis quoque publicis demonstrationibus botanicis, & dissectionibus duorum cadaverum, masculini & fœminini generis sedulo interfuit.

Transacto inter hujusmodi ingenii exercitamenta integro triennio, domum abiit, ibique per duos annos commoratus est, ut, hoc loco attento animo haustam eruditionem, meditando atque repetendo in succum, quod ajunt, & sanguinem converteret, simulque, per oblatam praxin, theoriam roboraret. Ne vero publica commendatione & honorifico titulo destitueretur, nuper ad nos reversus est, & receptionem in numerum Candidatorum, qua par est modestia, petiit, eaque impetrata, in privatis confesibus sufficienter ad propositas quæstiones respondit, ut dignum judicauerimus, cui cathedra concederetur. Hanc cum d. 14 currentis mensis, sub illustris Aulici Consilarii, D. D. Vvedelii consensurus sit, magnificus D. Pro-Rector, Proceres Aulæ & Academiæ, honoratissimi item Hospites, largaque Philiatorum corona officiose & obnixè rogantur, ut sua præsentia splendorem hujus solennis actus spectabiliorem reddere velint. P. P. sub sigillo Facultatis, d. XI

Oct. A. O. R. MDCC XIX.

(L.S.)